THESES METAPHYSICAE QUAS JACOBUS TOSIUS CIVIS FLORENTINUS IN...

Giacomo Tosi

Digitized by Google

THESES METAPHYSICAE

QUAS

JACOBUS TOSIUS

CIVIS FLORENTINUS

IN REGIO COLLEGIO PRATENSI

CONVICTOR

ET PHILOSOPHIAE ATQUE MATHESEOS AUDITOR

PUBLICE PROPUGNANDAS PROPONIT

DATA CUILIBET POST TERTIUM ARGUENDI FACULTATE.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

FLORENTIAE MDCCLXXVI.
TYPIS REGIAE CELSITUDINIS PER CAJETANUM CAMBIAGI
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Diſputabuntur publice in Regio Collegio Pratenſi Anno MDCCLXXVI. Menſe Septembri, Die Hora promeridiana: Diſputationem moderante Adm. Rev. BENEDICTO MORANDI *Sacerdote Florentino Philoſophiae, atque Matheſeos in eodem Collegio Praeceptore.*

Digitized by Google

IOANNI . VINCENTIO . DE . ALBERTIS

PATRICIO . FLORENTINO
COMITI . ET . SACRI . ORDINIS . SANCTI STEPHANI . P. ET M.
EQVITI . SPLENDIDISSIMO . ET . SAMMINIATENSIS . VRBIS . PRIORI
CAESARI . QVONDAM . IN . SVPREMO . ETRVRIAE . REGIMINE
A . PENITIORIBVS . CONSILIIS . REIQVE . PVBLICAE . A . SECRETIS
NVNC . PETRI . LEOPOLDI . PII . FELICIS . AVGVSTI .
INTIMO . ACTVALI . CONSILIARIO
ET . REM . ARCANAM
TVM . CIVILEM . TVM . MILITAREM . ADMINISTRANTIBVS . PRAEFECTO
VIRO . SUMMO
GENERIS . NOBILITATE . MAIORVM . GLORIA
QVAM . VEHEMENTER . AVXIT . AMPLIFICAVIT
FIDE . INTEGRITATE . PRVDENTIA
SOLICITVDINE . VIGILANTIA . DEXTERITATE
IN . REBVS . MAXIMIS . SEMPER . FELICITER . GESTIS
RELIGIONIS . STVDIO . INGENVA . PROBITATE . INCVLPATIS . MORIBVS
VERITATIS . ET . IVSTITIAE . PERPETVO . CVLTV
ACERRIMO . HOMINVM . ADVLATIONE . BLANDIENTIVM . ODIO
VIRTVTVM . OMNIVM . SPLENDORE . ET . DIGNITATE
INGENIO . DOCTRINA . MVLTIPLICI . ERVDITIONIS . GENERE
SINGULARI . LITTERARUM . PATROCINIO
INCREDIBILI . IN . OMNES . HUMANITATE
LONGE . SPECTATISSIMO
PRINCIPI . SVO . DE . ETRVRIA . BENEMERENDO . PROBATISSIMO
ET . EGREGIIS . ANIMI . DOTIBVS . OMNIVM . AMOREM . ADEPTO
EXIMIO . PATRIAE . ORNAMENTO
PVBLICO . BONO . NATO
CVM . PAVCIS . TEMPORIS . SVI . COMPARANDO
IACOBVS . TOSIVS . CIVIS . FLORENTINVS
IN . PRATENSI . R. COLLEGIO . CONVICTOR
ET . PHILOS. ET . MATH. AVDITOR
THESES . HAS . EX . METAPHYSICA . SELECTAS
QVAS . PVBLICE . AD DISPVTANDVM . OMINE . FAVSTISSIMO . PROPONIT
PRO . SVIS . ERGA . EVM . OFFICIIS . ATQVE . OBSERVANTIA
ET . OB . INSIGNEM . EIVS . IN . DOMVM . SVAM . BENEVOLENTIAM
PATRONO . SVO . OPTVMO . ET . GRATIOSISSIMO
IN . PERENNE . GRATI . ANIMI . MONVMENTVM
L . L
DEDICAT . CONSECRATQVE .

Digitized by Google

ANimam humanam eſſe omnino incorpoream, mutuumque commercium nihilominus intervenire inter ipſam & corpus, quo pereunte ſuperſit illa atque in aeternum conſervetur, Florentiſſimi Populorum, Philoſophorum celebratiſſimi tenuerunt ſemper conſtantiſſime atque hodie profitentur. Quicumque autem vel dubitaſſe viſi ſunt, vel aperte inficiari haec omnia haud veriti ſunt Democritus, Epicurus, Dicaearchus, Tolandus, Codvvardus, Lokius, Hobbeſius, & alii de illorum grege non pauci, egregiis adeo ſcriptis, validiſſimis adeo Argumentis fuerunt omni aetate impetiti atque oppugnati, ut ipſorum Syſtemata neglecta prorſus jaceant modo, aut cum riſu, cum indignatione etiam audiantur; quippe quae & abſurdis referta dignoſcantur, & conficta ab ejuſmodi hominibus, qui vel praejudiciis acti, vel impudenti novitatis ardore, vel ſceleri patrocinium quaeſituri, vel Religionem omnem, fidem, pietatem, & Societatis ſacra vincula ſublaturi impias & a bonis quibuſque abominandas ſententias tentarunt obtrudere atque diſſeminare. Quapropter in tuto poſita veritate, inutile hodie fortaſſe eſt ea ſuper re multiplicare volumina, quae ad enunciatas propoſitiones adſtruendas nil novi poſſint proferre, nil piis ſapientibus eruditiſque viris ignotum, nil obſtinatis Materialiſtis melius quam caetera profuturum. At quoniam Reſpublica Litteraria, Bonique omnes lubenter excipiunt & fovent gratioſiſſime eos, qui Metaphyſices tyrocinium egreſſi ſelecta quaedam ex ipſa ſcientia proponunt, ſeſeque paratos oſtendunt adverſus Materialiſtarum opuſcula, quae novis ſemper referta

fallaciis in errorem facile inducant: exinde eſt quod Metaphyſicarum Inſtitutionum confecto curriculo, praecipuas Noologiae Theſes ſeligimus atque proponimus non dubitantes, quin pari favore excipiamur & Nos, praecipue vero ſi portentoſum propoſitionum numerum ad oſtentationem nequaquam excerpimus, ſed paucis contenti ſpiritualitatem animae humanae, immortalitatem mutuumque inter ipſam, & corpus commercium adſtruimus ita atque eo conſilio, ut in ſpecimen ſtudiorum noſtrorum congeſta videantur in unum quaecumque a clariſſimis viris lectiſſima atque efficaciſſima habita ſunt ad demonſtrandas non modo, verum etiam ad vindicandas ab adverſariorum oppugnationibus propoſitiones ipſas, ex quibus optime conſtitutis caetera omnia Pneumatologiam ſpectantia dimanant. Eſto igitur.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Anima humana eſt omnino Incorporea.

SOlus Pherecrates apud Tullium, Animam dixit „ Nomen inane & nihil, fruſtraque „ animalia & animantes appellari, neque „ in homine ineſſe animum, nec in beſtia; „ vimque omnem eam, qua vel agamus quid „ vel ſentiamus, nec ſeparabilem eſſe a cor- „ pore neque ab ipſo diſtinctam. L. 1. qq. Tuſc. c. 10. Sed bene ei convenit illud Auguſtini „ Animo careat neceſſe eſt qui animam negat „. Qui enim ſibi ſuarum perceptionum & appetitionum conſcius non eſt hic ſolus inficiari poterit exiſtere in nobis principium quoddam activum, ex quo profluant actiones omnes, qualeſcumque ſint, cogitandi reminiſcendi volendi atque eligendi. Quod ſi negare non poſſumus principium iſtud activum, negare profecto nec poſſumus ejuſdem principii ſubjectum, quod = ſubſtantia intelligens = ſive = anima = nuncupatur. Quamobrem dari atque exiſtere in nobis ſubſtantiam ejuſmodi cogitantem & volentem non eſt cur demonſtremus; ſed inquirenda potius

Digitized by Google

eſt ipſius ſubſtantiae natura, & primo utrum corporea, nec ne, illa ſit.

Incomperto igitur eſt apud Phyſicos inter caetera corporum univerſalia attributa illud reperiri, quo = Inertia = corpora ipſa dicuntur, & cujus vi a quiete ad motum, ſive a motu ad quietem ſe ipſa non poſſunt transferre; ſed neceſſe habent, vel ut quieta ad motum impellantur per cauſas externas, vel ut per cauſas item externas reprimatur in iis motus conceptus. At quoniam principium illud activum, ſubſtantia illa quam in nobis ſentimus, & quam animam dicemus deinde ſe ipſam ad cogitandum judicandum atque eligendum determinat quin opus habeat cauſis quibuſcumque externis (conſcientia teſte) ad id praeſtandum; neceſſario ergo concludimus, ſubſtantiam ipſam eſſe a corpore prorſus diſtinctam.

Patet deinde, atque experientia quotidiana nos docet, vires omnes corporum, tum in quiete tum in motu, verſari ſolummodo circa obiecta praeſentia, loco circumſcripta ac definita temporibus; cum tamen ſubſtantia illa intelligens, quae in nobis eſt, circa praeterita quoque, futura, nec definita loco vel tempore, verſetur quam maxime. Quare ex communi omnium conſenſu ſcribebat Tullius Officiorum Lib. 1. „ Homo quoniam rationis eſt particeps conſequentia „ cernit, principia & cauſas videt, eorumque progreſſiones „ & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat „ & rebus praeſentibus adjungit atque adnectit futuras, faci„ le totius vitae curſum videt, ad eumque regendum praepa„ rat res neceſſarias „ Anima igitur humana non eamdem cum corpore habet naturam.

Tertio; cum nos cogitandi atque judicandi capaces ſentiamus, atque ideo admittamus principium actionum hujuſmodi: ſi quando adfirmare velimus ſubjectum ipſius principii eſſe corpus, demonſtremus & illud oportet, ſenſum omnem ac perceptionem idem eſſe realiter, atque corporeum motum & reactionem; demonſtremus nimirum oportet, perceptiones atque judicia fieri in nobis motione partium cor-

po-

Digitized by Google

porearum, actione ac reactione fibrillarum cerebri &c. At quoniam judicandi actiones nullatenus obtineri poſſunt per motionem iſtam partium corporearum: concludendum eſt igitur, animam humanam ejuſmodi eſſe naturae quae a corporea ſit omnino diverſa.

Ut autem pateat judicandi actiones obtineri omnino non poſſe per motum partium corporearum, ſic ratiocinamur. Si animae actiones fiunt per motionem, ſeu conflictum partium corporearum, dicendum erit: primo, tot eſſe in cerebro diſtinctas atque diverſas motiones, quot ſunt diverſae & diſtinctae ſimplices perceptiones: ſecundo, tamdiu perdurare in cerebro motiones easdem, quamdiu obverſantur clarae & diſtinctae ideae illae ac perceptiones: tertio, motiones iſtas ſingulas fieri in parte materiae diviſibili. Ac re quidem vera, quemadmodum ad explicandos diverſos ſonos atque diſtinctos A, B, C, diſtinctas quoque & diverſas oſcillationes chordarum D, E, F adſignamus, cum una chordae unius D oſcillatio nequaquam producat diverſos diſtinctoſque ſonos A, B, C; quemadmodum oſcillationum durationi ſonuum aeque duratio reſpondet; quemadmodum plurium chordarum oſcillationes nullatenus fieri ſimul poſſunt in eadem indiviſibili parte materiae: non alio ferme pacto explicare licet diverſas atque diſtinctas in mente ideas, niſi totidem admittamus in cerebro diverſos diſtinctoſque conflictus & motiones, quot ſunt diverſae ac diſtinctae in cerebro ideae; niſi admittamus praeterea, non ceſſare easdem motiones ideis iiſdem durantibus adhuc atque obverſantibus; niſi admittamus denique motiones ipſas fieri ſimul non poſſe in una eademque cerebri parte indiviſibili, motus quippe idem eſſe intelligitur atque translatio corporis ex una in aliam ſpatii partem.

Quandoquidem igitur, in hypotheſi quod ſubſtantia intellectualis ſit corporea, neceſſario concludimus ad ſingulas ideas requiri ſingulas & diſtinctas motiones, easque factas in parte materiae diviſibili, atque perdurantes quoadusque idea perſeveret: videamus modo, quod hiſce ſuppoſitis, judicii electionis & ratiocinii incapaces effice-

re-

remur. Et quidem idearum comparationem rem eſſe ab ideis, quae comparantur, penitus diverſam attendentibus patet: ex praemiſſis illud quoque patet ſingulis perceptionibus ſingulos ac diverſos reſpondere motus & conflictus in cerebro: quamobrem in ea mentis actione, quam judicium vocamus, tres ſaltem dari debent ejuſmodi motus inter ſe diſtincti, cum tres ſaltem dentur in nobis perceptiones dum judicamus. Animadvertendum praeterea quod, conſcientia teſte, tres ideae illae coexiſtunt dum judicamus: duas enim ideas nobis conferentibus, ideae ipſae ſimul non autem una poſt aliam ſeſe nobis offerunt comparandas; nos vero praeſentes ambas comparamus, adeoque collatio haec una cum ipſis coexiſtat oportet. Sint igitur duae ideae A, B, ipſis duo reſpondebunt conflictus: has ideas comparare velimus; jam coexiſtere debent ambarum conflictus, & una cum illis coexiſtere etiam debet conflictus C, qui reſpondeat perceptioni relationum idearum A, & B: ac proinde eodem temporis momento coexiſtent tres conflictus A, B, C diverſi inter ſe atque diſtincti. At quoniam ex dictis non in eodem loco & extenſo, non in eadem indiviſibili parte materiae fieri poſſunt eodem tempore tres iſti conflictus, tunc enim unus idemque eſſet conflictus qui unam tantummodo exprimeret ideam, & judicii naturam deſtrueret; ex inde ſequitur manifeſto, quod ſingulae motiones in diverſa cerebri parte fient. Atque ita cum ſingulis perceptionibus in hac hypoteſi ſingula motio reſpondeat, unica ideo non plures ſeſe menti offerent ideae eodem momento conferendae, adeoque nullum dabitur judicium. Quoniam vero in omni inquiſitione ratiocinio atque meditatione maximum obtinent locum judicia, neceſſario ergo conſequitur, quod ſi anima eſſet corporea, inepta quoque eſſet ad ejuſmodi actiones, quarum tamen longe capaciſſimos nos eſſe ſentimus.

Quarto: ne ab hiſce motionibus diſcedamus, quae neceſſario ad ſingulas ideas excitari debent in cerebro, ſi mens corporea ſupponatur, certum illud eſt, quod ſi vocabulum aliquod in auribus ſonet, continuo idea quaedam exoritur

in

in mente noſtra, cui reſpondere debeat aliqua motio in fibrillis cerebri. Haec autem motio excitari nequit niſi per ſonum vocabuli ejuſdem; ſi enim ſonus non ſit, quamnam adſignabimus cauſam iſtius conflictus? Diverſis igitur ſonis diverſae excitabuntur motiones: & ſi diverſae, diverſas quoque ideas repraeſentabunt. Pronuntiemus itaque unam poſt aliam has voces: = Deus = nimirum = Dieu = Θεὸς &c. diverſi profecto ſoni ſunt vocabula iſta, quapropter diſtinctos quoque conflictus excitabunt in cerebro, ac diverſas proinde ideas acquiremus. Quid tamen in cauſa eſt quod unam eamdemque ideam diverſis hiſce vocibus vulgo percipimus? Nonne ergo cadit, ac penitus convellitur Syſtema illud motionum atque conflictuum in nervulis, & fibris cerebri, quod tamen neceſſe eſt invocemus, ſi velimus mentem hominis eſſe corpoream? Quaerimus adhuc; quandoquidem eodem ſono idem etiam generatur conflictus, cur igitur non eadem excitatur idea ſi vocabulum hoc audiam = Lego? = a Graecis nempe prolatum = dicere = a Latinis = legere = ſignificat. Ex allatis exemplis facile eruitur, arbitrariam eſſe prorſus verborum ſignificationem; in hypotheſi autem, quod anima humana ſit corporea, neceſſaria & naturalis eſſet eorumdem ſignificatio, utpote quae oriretur ex certis, atque determinatis partium materiae motionibus.

Ejuſmodi naturae eſt veritas, ut nunquam deſint argumenta queis confirmetur, ſed ultro ſeſe offerant efficaciora ſemper & validiora. Ad confirmandam igitur propoſitionem noſtram infinita propemodum, ac ſaepius occurrunt in vita, quibus nihil fortaſſe ſit aptius nihil accommodatius. Ex innumeris hoc unum liceat in medium afferre: ſi quando vel Flumina ope Cimbarum tranamus vel Littore ſolvimus, & ripa & montes videntur diſcedere, nos vero eodem ſemper loci conſiſtere:

„ *Provehimur Portu, Littuſque Urbeſque recedunt:*

Haec exhibet ſenſus, & utique motum in ripa in arboribus percipimus. Contradicit interea ratio, errorem detegit, & ſenſuum errore adhuc perdurante non deſiſtit, quin adver-

ſetur

ſetur ideis obverſantibus. Vidente me arbores atque Littus, exoriri poſſe motionem quamdam in cerebro atque exinde ideam facile intelligo: nihil tamen in cauſa eſt, cur modo exoriatur conflictus alius, ex quo percipiam me falſo opinari motum verum in Littore & in arboribus. Perceptio haec igitur poſtrema non ex motionibus partium materiae fit, fit tamen; quomodo? Concludamus ergo, quod revera „ *aliud ſumus nos, aliud ſenſus, ſi quidem cum ipſe fallitur poſſumus nos non falli* „. Quae autem de motu apparenti dicebamus, eadem de magnitudine Lunae reſpectu Fixarum; eadem de baculo aquae immerſo, ac de ſexcentis hujus generis phoenomenis dici poſſent; quemadmodum innumera adhuc proferri poſſent argumenta quibus contra Materialiſtas maneat immota noſtra propoſitio; Animam nempe humanam eſſe ſubſtantiam a corpore omnino diverſam, ac proinde incorpoream.

COROLLARIUM I.

Ex dictis repugnat materiam ejuſmodi eſſe naturae, quae poſſit cogitare velle & eligere; quamobrem evaneſcit Lokii dubitatio omnis ſuper hoc, quamque lib. IV. = de intellectu humano = cap III pluribus ac pluribus argumentis confirmare contendit. = Habemus, inquit, ideas materiae, & cogitationis: verum intelligere fortaſſe non poſſumus utrum Ens mere materiale cogitet nec ne. Et quidem contemplationis ope non eo tandem pervenire licet, ut dilucide demonſtremus corpus aliquod a Deo ipſo diſpoſitum atque ordinatum nequaquam affectum eſſe potentia & percipiendi & cogitandi. =

Primis hiſce Lokii conatibus adverſamur adfirmantes quidem, nos ideam habere tum perceptionum tum materiae, ſed talem eſſe in nobis ideam cogitationis, ut cum idea materiae non conveniat. Materiam nempe operari non intelligimus niſi per motum partium, quemadmodum demonſtrabamus ſuperius; perceptiones autem, atque ex iis profluentia judicia exoriri non poſſe intelligimus ex motionibus, quae coexiſtere nequeunt in eodem loco & tempore, ſicuti coexiſtere ac con-

Digitized by Google

convenire in nobis ſentimus plures & plures ideas, ſi quando judicamus & ratiocinamur. Quare optime & ad rem opponebat eidem Lokio Stinlingifleetus = Cognitio omnis quae eſt in nobis, juſta Lokium ipſum, fundamentum habet in ideis. Ideam vero, quam habemus generatim de materia, eſt idea ſubſtantiae ſolidae extenſae, ac figuratae: idea vero ſpiritus & cogitationis eſt huic omnino contraria: adfirmare igitur, materiam poſſe cogitare, idem eſt profecto ac confundere ideas materiae, & ſpiritus. =

Inſtat adhuc Lokius atque ita ratiocinatur. = Illud unum optime concipimus de corpore, quod poſſit impingere in aliud, atque ipſum quodammodo afficere. Praeter id confuſa omnia atque incerta. Motus autem nihil praeter motum producere poteſt, ſi philoſophamur ex ideis quas habemus ſuper hoc. Non raro tamen animadvertimus, corpora producere & voluptatem & dolorem, ideas quoque coloris, & ſoni. Fateri ergo cogimur Deum revera communicaſſe motui potentiam producendi effectus tales, quales producere nequaquam poſſe jam putabamus. Quid igitur obſtat, cur Deus non communicet, immo communicaverit corpori facultatem intelligendi, quam poſſibilem in eo non intelligimus; quandoquidem potuit jam communicare corporibus ipſis facultates ejuſmodi, quas tamen in iis convenire poſſe non putabamus? Nullam in hoc invenimus contradictionem, quod nempe Deus Ens cogitans omnipotens donet, ſi velit, gradus aliquos perceptionis & cogitationis corpori diſpoſito per ipſum atque ordinato, prout opportunum ipſe judicaverit. =

Sed reſponſio in promptu eſt: non enim ideo dicimus atque adfirmamus materiam impotem eſſe ad cogitandum, quia non intelligimus modum quo id fieri poſſit; ſed ex eo id eruimus, quod actio ipſa cogitandi & facultas repugnat omnimode cum altero ex corporum attributis. Inertia ſunt corpora; id novimus: ad motum itaque excitari neceſſario debent per cauſas externas. Actio autem cogitandi manat ex principio intrinſeco, quod in ſubjecto ipſo cogitante reperitur; id quoque notum: Inertia igitur convenire nequit in eodem ſubjecto quod agit libere nulliſque externis impellentibus

tibus

Digitized by Google

tibus cauſis. Impoſſibile nempe in data ſubſtantia intelligimus, id quod cum uno ſaltem pugnet ex attributis ejuſdem ſubſtantiae. Et ſi nullam invenit Lokius contradictionem in eo, quod Deus efficere poſſit ut materia cogitet atque ratiocinetur; nos quidem invenimus atque aperte cognoſcimus. Si enim dicamus hoc ipſum Dei omnipotentiae impoſſibile, non utique eam Divinae potentiae tribuimus extenſionem, quae aequalis ſit capacitati mentis humanae; ſed merito id aſſerimus, quandoquidem inter infinitas Dei perfectiones annumeratur & illa, qua contradictoria nequaquam uniat in uno eodemque ſubjecto.

Ex hiſce omnibus patet quam impie in haec verba proruperit Lokius cap. memorato = Negare non poſſumus, inquit ille, ineſſe in nobis quiddam cogitans; dubitatio ipſa quae ſuper hoc menti obſervatur uberrime demonſtrat illius exiſtentiam: attamen utrum materialis illa ſit, ſeu potius immaterialis ignoremus melius quam diſquiramus. Nulla autem urget neceſſitas, ut Philoſophus ſeſe determinet pro mentis ſpiritualitate vel contra, quemadmodum exiſtimarunt plerique; ex quibus nonnulli immerſi veluti mente in materia, nihil niſi materiale opinantur exiſtere; caeteri autem materiae naturam ſubtilius atque altius inveſtigantes, neque intelligentes quomodo convenire poſſint atque uniri cogitatio cum extenſione ſolida, ex eo concludunt atque adfirmant pertinacius materiam ipſam adeo impotem eſſe cogitandi, ut neque Deus ipſe hac facultate eam poſſit inſtruere = His ferme verbis Lokius ille, qui brevi admodum oratione & affectata hac dubitatione ſuper mentis ſubſtantia, plures traxit ad materialiſmum fortaſſe, quam traxerint caeteri omnes qui animam corpoream aperte dixerunt: ſed poſtrema haec Lokii impiiſſima verba, & in quibus latet venenum exquiſitiſſimum, facile refutantur ex iis quae nuper aſſerebamus; Philoſophi namque illi qui materiam impotem cogitandi arbitrantur, non ideo talem ipſam exiſtimant, quia non intelligunt quomodo convenire poſſit extenſio ſolida & cogitatio; ſed quia repugnat revera dari poſſe in corpore facultatem cogitandi & volendi contrariam omnino ac directe

oppo-

Digitized by Google

oppoſitam attributo Inertiae, quod certe eſt in materia praecipuum.

COROLLARIUM II.

Quandoquidem exploratum eſt in Brutis multa nimis concurrere, quae ipſis cognitionem quamdam adjudicent; ipſa vero neque eſſe puras machinas & mera automata uberrime demonſtretur; ſubſtantiam ideo immaterialem in illis ineſſe dicendum eſt. Corruit ergo Woltairii ſententia, qui Lokio concinit in epiſtolis philoſophicis, atque ex Brutis argumentum deſumit. Bruta enim tamquam materialia omnino conſiderans, atque in iis animadvertens non pauca nec levia cogitationis indicia; a pari concludit, non repugnare mentem hominis uti materialem producere ea, quae a Brutis omnino materialibus aliquatenus producuntur.

COROLLARIUM III.

De ſpiritualitate mentis humanae Lokius & Woltairus cum paucis viri ſunt dubitaſſe tantummodo; Hobbeſius tamen in Elementis Philoſophiae, Mirabodius in ſuo Syſtemate Naturae, Tolandus, Cowardus, & caeteri Materialiſtae palam propugnarunt, animum hominis eſſe corpoream: atque ut demonſtrarent operationes cogitandi & volendi profluere ex corpore, plura & varia excogitarunt Syſtemata, quae quia merae ſunt hypotheſes, & in id recidunt tandem, ut operationes illae fiant per motum, non eſt cur immoremur in iis refellendis: ſatis enim ſunt, quae jam contra ejuſmodi motum ſuperius attulimus.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Anima humana eſt immortalis.

DEmonſtrata jam mentis humanae ſpiritualitate ad ipſius Immortalitatem evincendam modo progrediamur. Quamquam vero praecipuum illud ſit Chriſtianae Religionis fundamentum atque Dei ipſius teſtimonio confirmatum; Methaphyſici tamen eſt ſola ratione duce idipſum adſtruere.

Duo autem praenotanda occurrunt antequam id aggrediamur. Et primo = Immortalitatis = nomine intelligimus = Entis viventis durationem perpetuam =: Ens autem vivens illud eſſe dicimus, quod habet in ſe operationis principium. Secundo, immortalitas haec = abſoluta = ſeu = intrinſeca = dicitur ſi in ejuſmodi Ente reperitur, quod nullum in ſe habeat ſui interitus principium: immortalitas vero = relativa = ſive = extrinſeca = Enti illi attribuitur, quod a nullo Ente extrinſeco deſtrui, & in nihilum redigi poſſit.

Hiſce praenotatis abſolutam immortalitatem animae noſtrae convenire primo contendimus: ipſam enim ejus eſſe naturae adfirmamus quae nullum in ſe contineat ſui interitus principium. Secundo adfirmamus & illud, animam nempe humanam a nullo alio Ente, Deo tantum excepto, deſtrui poſſe & in nihilum redigi; adeoque ſaltem ex hac parte immortalitatem relativam animae ipſi merito attribui. Et quoniam ratio omnis ſuadet animas humanas Increati Entis voluntate nullatenus perituras, hinc tertio adfirmamus immortalitatem relativam ex hac quoque parte animis ipſis non eſſe denegandam.

Ad primam propoſitionis partem quod attinet: ſi naturam atque eſſentiam animae humanae diligentius conſideremus, hanc ipſam indeſtructibilem eſſe ac perpetuo duraturam neceſſario inferemus. Ex prima enim propoſitione manifeſto patet

Digitized by Google

91

patet eam eſſe omnino incorpoream, ſimplicem ideo & partibus quibuſcumque vel minimis prorſus expertem. Si partes vero non habet, principium diſſolutionis ac deſtructionis non habet profecto: cauſae quippe corruptionis diſſolutionis ac deſtructionis nocere illi, neque illam aggredi ullatenus poſſunt. Cum igitur mens humana propriae deſtructionis atque interitus principium nequaquam in ſe contineat, immortalitate abſoluta ipſam gaudere dicemus.

Propoſitionis vero pars altera patet manifeſtiſſime a quovis enim Ente creato nullam prorſus ſubſtantiam produci ex nihilo aut in nihilum redigi poſſe intelligimus.

Illud unum igitur ſupereſt demonſtrandum, quod nempe ab Increato Ente Mens humana conſervetur revera, non autem in nihilum redigatur. Quod quidem pluribus argumentis licet confirmare. Et ſane corpus poſt mortem etſi corrumpatur ac diſſolvatur non perit tamen neque perire & annihilari poteſt niſi Dei voluntate. Id non effici experientia docemur. Qua igitur ducti ratione adfirmabimus animas potius a Deo annihilari? Scilicet ea erit ratio, quod nobilioris ac ſimplicioris ſunt conditionis animi quam corpora.

Verum praeterea & illud eſt, quod ſuapte natura minime obnoxius eſt morti animus noſter; verum & illud, quod a Deo creatus eſt talis. At quid ineptius quam aſſerere, Deum creaſſe animos ſua ipſorum natura immortales, ut poſt breviſſimam temporis durationem, ac non raro unius diei vel etiam horae unius admirabiles iſtas ſubſtantias ad nihilum revocaret? Non ſanae mentis profecto eſſet qui Aegyptiam molem ſua ipſius natura pluribus ſaeculis duraturam extrueret, ut eam ne vel uno elapſo die dirutam vellet ac comminutam.

Quid autem indigitare videntur, niſi animae noſtrae immortalitatem, facultates illae quae in anima ipſa reperiuntur, & quae in immenſum atque infinitum tempus feruntur, Providentia ſcilicet Intelligentia Voluntas &c.? Quid eſt quod Aeternorum tam cupidi ſumus atque ad aeterna vel imprudentes ſtudemus; in eo quod duraturum ſperamus oblectamur quam maxime; finiti cujuſdam boni ac terminati finem attingere vel etiam praevidere veluti perhorremus?

Digitized by Google

Verum & alia non minoris certe ponderis ſuppetit ratio, qua id ipſum evincamus. Imprudentiſſime namque inficiaremur cum nonnullis ex antiquis Philoſophis, praeeſſe univerſo huic Gubernatorem aliquem ac Rectorem, a quo omnia regantur & in ordine contineantur, virtuti praemia vitiis debitae poenae rependantur? Nullam etenim intelligimus dari poſſe bene ordinatam Rempublicam, in qua merces propoſita non ſit virtutibus, criminibus poena. Sed vetus querela eſt, omniumque comprobata experimento ſaeculorum, improbos atque ſceleratos homines deliciis plerumque affluere & divitiis, proſperam vitam agere, nullas pro graviſſimis delictis poenas exſolvere; gementibus interea bonis in anguſtia in calamitatibus, nec debitam virtuti praeclariſque geſtis mercedem recipientibus: igitur ſi Rector ille ſupremus ac rerum omnium Gubernator eſt admittendus, admittamus quoque neceſſe eſt, quod ipſe delictis hominum poenas, virtutibus praemia rependat. At viventibus illis in corpore non rependit plerumque; poſt mortem itaque alius erit animorum ſtatus, in quo juſti premiis, ſceleſti vero debita poena afficiantur. Et quoniam virtutes, delicta quoque ratione obiecti, ad quod referuntur dicenda ſunt infinita: infinitus etenim eſt Deus: poenae igitur malorum, bonorum praemia erunt infinita: infinita autem quoad durationem, non vero quoad intenſitatem; capacitatis namque finitae eſt anima humana. Si autem infinita ſit oportet quoad durationem merces animorum, animi igitur qui vel bonis iſtis aeternis perfrui debent vel poenis excruciari immortales erunt, neque ad nihilum redigentur.

Ratio ergo omnis ſuadet, quod ſupremi juſtiſſimique Numinis voluntate non pereunt animae pereunte corpore, ſed permanent immo, atque in aeternum conſervantur.

COROLLARIUM

Si anima humana revera eſt immortalis, quemadmodum demonſtrabamus ſuperius; non mirum profecto quod ſuper hoc univerſalis ſemper fuerit, atque hodie ſit cunctarum Gen-

Digitized by Google

Gentium omniumque hominum perſuaſio. Chaldeos, Indos, Magos, Caſcios antiquiſſimos ab Ennio appellatos in hac fuiſſe ſententia exploratum eſt. Nobiliores vero Graeciae Philoſophi Thales, Pitagoras, Socrates, & alii pene innumeri in eadem fuere ſententia, quemadmodum videre eſt in quaeſtionibus Tuſculanis & lib. 1. praecipue, ubi Tullius plurimorum Philoſophorum effatis propoſitis tandem concludit = Non temere nec fortuito creati ſumus; ſed profecto fuit quaedam vis, quae generi conſuleret humano, nec id gigneret aut aleret quod cum exantlaviſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum = Quid plura? Lucretius ipſe qui perire animas cum corporibus adfirmabat, victus tamen eſt veritate, & imprudenti ratio vera ſurrepſit: ſcripſit enim Lib. II. verſ. 998.

„ *Cedit item retro de terra quod fuit ante*
„ *In terram; ſed quod miſſum eſt ex aetheris oris*
„ *Id rurſus Coeli fulgentia templa receptant.*

Hobbeſio, Corrado, Socino caeteriſque omnibus, qui mentem perire ajunt cum corpore non probantur quidem quae de univerſali omnium conſenſu ſuper animae noſtrae immortalitatem aſſerebamus. In teſtimonium nempe adducunt plures recentes Populos ex America & Africa, Huttentotos praecipue qui vel nullam agnoſcant vitam poſt mortem vel nihil incorporei credant exiſtere. Inter Neotericos Philoſophos non paucos recenſent, qui noſtram rejciant ſententiam: inter veteres, Stoicos & Epicureos praeſertim: Sectam Sadducaeorum inter Judaeos: nonnullos inter Patres ipſos Eccleſiae: verba denique proferunt Eccleſiaſtae cap. III. & IX, ubi ait = Unus interitus eſt hominis & jumentorum, & aequa eſt utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur.... ..... Nihil habet homo jumento amplius..... Quis novit ſi ſpiritus Filiorum Adam aſcendat rurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?..... Mortui nihil noverunt amplius nec habent ultra mercedem = Haec & ejuſmodi alia opponunt Hobbes, & qui cum eo idem opinantur.

Digitized by Google

Sed contra eos dicimus primo; quod gratis aſſeritur, populos memoratos nihil immortale, nullam vitam poſt interitum corporis agnoſcere. Haec vulgata fuerant quidem de Populis nuper detectis; ſed contrarium prorſus eruitur ex Kolto atque Malleto; quorumdam autem viatorum relationes falſitatis jam arguuntur a caeteris Europaeis, qui cum iiſdem nationibus frequentiora agitare coeperunt commercia. Quamquam & ſi ignorantiam hujuſmodi admittamus in iiſdem nationibus, nullum profecto robur accedet Hobbeſianorum opinioni: cum enim ex eorum confeſſione barbarae ſint prorſus & ferae Gentes illae, ideo immortalitatem animarum poſſunt ignorare, quia neglexerunt ea ſuper re animi exercitationem. Sed ne neglexerint quidem ſicut nec Sadducaei, neque Stoici neglexerunt ejuſmodi inquiſitionem; quid inde? Non tanti facienda eſt infrequens ac debilior ipſorum turba, ut adverſus innumeras Gentes, ac fere omnes nobiliores Philoſophos, infirmare poſſint univerſalem de immortalitate mentis perſuaſionem.

Theologorum vero & Patrum teſtimonia quaedam detruncata, & mutilas ſententias incaſſum proferunt adverſarii: ex contextu enim & ex aliis Patrum ipſorum operibus eruimus manifeſto illos inter caetera Religionis dogmata Immortalitatem quoque Animae humanae aperte atque ex profeſſo docuiſſe. Hac enim everſa non eſt quid amplius diſſerat Theologus de poenis ac praemiis, quorum ſpe vel timore homo in officiis erga Deum & Proximum contineatur. Si igitur pauca quaedam aliquando occurrant in Theologis ipſis, quae immortalitatem videantur deſtruere, ſanioris critices regulae omnes docent explicanda haec eſſe, & reducenda ad ſententiam, quam alias ex profeſſo tuentur Auctores.

Ad teſtimonia vero quod attinet ſcripturarum, & quae ideo ab impiis & effrictae frontis hominibus proferuntur, ut radicitus evellant propoſitionem hanc noſtram, non poſſumus, quin efficaciſſimis verbis utamur Danielis Huetii in demonſtratione Evangelica, propoſitione quarta = non deſunt, inquit clariſſimus Auctor, hac aetate homines in ſacris voluminibus non tam vitiorum ſuorum medelam, quam impie-

pietatis patrocinium quaerere ſoliti, qui his quae mox adduximus verbis errores ſuos tueantur. Enim vero parum attente ſunt in Libri hujus lectione verſati; in quem ſi altius penetraſſent, non ex ſua ſententia ea proferre Salomonem reperiſſent. Is enim eſt Eccleſiaſtae ſcopus propoſitus, ut de finibus bonorum & malorum diſſerat. Varias itaque ſtatim ab initio profert opiniones, eaſque ad examen ſe ſuum revocaſſe, ac tandem repudiaſſe ait, & in ea demum acquieſcit, quae Deum timendum ac mandata ejus obſervanda eſſe tradit = Non abſimilibus autem obſervationibus facile refelluntur quaecumque ex ſcripturis depromantur ad impugnandam animae humanae immortalitatem.

Quamquam ad Scripturarum teſtimonia ſi ſit deveniendum; quidnam praeter immortalitatem deſignavit Salomon in libris memoratis, cum finem loquendi fecit his verbis = Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc enim eſt omnis homo? = Quid nam deſignaſſe dicenda ſunt Verba Domini ad Abraham = ego ero merces tua magna nimis =, & hujuſmodi alia ampliſſima promiſſa ad Patres populumque judaicum non ſemel atque iterum, ſed innumeris vicibus facta? Quid nam teſtimonia luculentiſſima Jobi proprias quidem non autem impiorum ſententias referentis? Quid denique aeternus ignis & Regnum aeternum juſtis pro merito vel injuſtis paratum a conſtitutione Mundi, quid praeter animorum aeternitatem indigitat?

PROPOSITIO III.

Phyſici influxus Syſtema prae caeteris aptum videtur ad explicandum Animae cum corpore commercium.

QUandoquidem certum exploratumque eſt, mentem hominis veluti creſcere in Pueris, vigere in Juvenibus, deficere in Senibus, aegrotare in aegris, in tumulentis

turbari, omnibuſque corporis mutationibus mutationem (ſi liceat appellare) quamdam in anima noſtra reſpondere: quandoquidem & illud exploratum eſt, in corpore noſtro reperiri & ineſſe ſubſtantiam illam ſpiritualem intelligentem, quam dicimus animam: negare ideo non poſſumus connexionem quamdam, arctiſſimumque inter utramque Subſtantiam materialem ſcilicet atque immaterialem commercium.

„ Mihi quidem (ajebat Tullius lib. 1. Tuſc. cap. 22.) „ naturam animae intuenti multo difficilior occurrit cogita- „ tio multoque obſcurior, qualis animus in corpore ſit tam- „ quam alienae domui, quam qualis cum exierit, & in li- „ berum coelum, quaſi domum ſuam venerit „ Haec Tullius, & cum eo Philoſophi omnes, qui ut explicarent animae ſpiritualis cum corpore hoc materiali commercium, multas excogitarunt hypoteſes quibus nil minus fortaſſe ſufficiat ad explicandum conſenſum illum prorſus mirabilem, quem certe novimus inter operationes mentis & corporis; & cujus conſenſus ope, mens veluti interpres corporis, & corpus viciſſim veluti interpres mentis videtur.

Singulis Syſtematibus ſuper hoc probe perpenſis, nullum omnino invenire eſt, quod pluribus non ſcateat difficultatibus quin immo plura inveniuntur quae rationi ac Religioni prorſus adverſentur. In tanta rerum ignorantia ſatius eſſet Philoſopho confiteri = Se neſcire quod neſcit, ne dum ſe ſcire mentitur nunquam ſcire mereatur = . In quo quidem peccarunt Malebrankius, Leibnitius, pluresque alii cum ipſis, qui quia non intellexerunt quomodo materialis ſubſtantia in immaterialem agere poſſet & viciſſim, ridicula ſane invexerunt Syſtemata impia immo, quae animae noſtrae libertatem penitus evertant, graviſſimiſque praeterea laborent difficultatibus. Ridicula, inquam Syſtemata atque adeo a nobis ridenda, ut ab ipſis auctoribus pro ridendis haberentur; ſcribebat namque de ſua hypotheſi Leibnitius ad Pfapphium = Neque Philoſophorum eſt rem ſerio ſemper agere qui in fingendis hypotheſibus ingenii ſui vires experiuntur. =

Sed quoniam hujuſce connexionis rationem aliquam tentando exquirunt Metaphyſici omnes ut commercium ipſum phi-

philoſophice explicetur quodammodo atque oſtendatur (Philoſophi quippe eſt veritatem pro viribus inveſtigare) hinc eſt, quod inter tot Syſtemata = Syſtema phyſici Influxus = ut vocant ſeligimus atque proponimus utpote rationi magis conſentaneum. Hoc autem ita proponimus, ut de eo nihil certi adfirmare audeamus = Quaeremus omnia, ut cum Tullio loquamur, dubitantes plerumque, & nobis ipſis diffidentes = .

Syſtema itaque = Influxus phyſici = illud eſt, in quo ſupponitur animam phyſice agere in corpus, & actione ſua illud determinare ad actiones quaſcumque: corpus vero ſupponitur & ipſum phyſice influere in animam, motumque ab externis obiectis efficere ut anima ſe determinet ad percipiendum atque ad ſentiendum. Uno tandem verbo: Syſtema hoc animam ſupponit revera agere in corpus, & corpus in animam. Noſtro ineunte ſaeculo Pater Tourneminius in actis Trivortianis ad annum 1703. hanc egregie propugnabat hypotheſim, ita tamen ut Influxum phyſicum animae in corpus admitteret quidem, non autem contra. Sed de Tourneminiana hypotheſi, quae nec aſpernandis innititur rationibus agemus inferius.

Interea propoſitionem noſtram ſub initio poſitam expoſituri obſervamus: primo, humanam mentem extrinſeco indigere determinante, ut in ipſa unius potius, quam alterius rei idea excitetur; ex iis enim quae ſuper idearum origine adnotantur in Logica manifeſto patet, nullas dari innatas ideas & mentis humanae eam eſſe vim, ut ideas quidem valeat in ſe producere, ſed ad nullas ſit per ſuam eſſentiam determinata.

Secundo; ex notis ſuper idearum origine, & conſcientia vel ipſa teſte, nulla in nobis rei ſenſibilis idea producitur, niſi rei ipſius phantaſma in cerebro producatur, vel niſi phantaſma alias productum denuo excitetur. Et quoniam phantaſmata haec producuntur, & veluti depinguntur per motionem in cerebro factam ex immutatione organi ſenſorii ab objectis externis affecti exinde conſequitur, quod mens (quamdiu unitur corpori) in ſenſibilium rerum ideis producendis dependet a corpore, quatenus corporis miniſterio rerum ſenſibilium imagines preſto fiunt.

Tertiò; ſi nulla rerum ſenſibilium idea in mente corpori copulata producitur niſi corporis miniſterio, ſi quaecumque rei inſenſibilis idea ab ideis rerum ſenſibilium per abſtractionem derivat uti edocemur in Logica: nulla igitur in mente producitur idea vel rei ſenſibilis vel etiam inſenſibilis, niſi phantaſma aliquod per motum in corpore producatur modo, vel productum olim denuo excitetur.

Praenotata haec omnia non poſſumus quin admittamus: non poſſumus ergo quin admittamus eam eſſe animae noſtrae naturam ac vim, ut ad impreſſionem rei ſenſibilis ſuper organa ſenſoria, & ad motum in cerebro ideo excitatum, ideam valeat in ſe producere ac veluti cudere, quae omnino reſpondeat motioni ipſi atque impreſſioni. Cum autem idea omnis producatur ſtatim poſt motum hujuſmodi, concludamus oportet tunc temporis dari actionem quamdam, ſeu phyſicum, ut dicunt, Influxum corporis ſuper animam: Alioquin ad quid motus illi in corpore tam mirabiles (ut Phyſicis exploratum eſt) tantoque artificio a natura ordinati, & ad cerebrum perducti? Certum autem eſt, Deum & Naturam nihil fruſtra operari.

Quod ſi actionem omnem negamus, ac proinde inutili naturae ſtudio & labore motus omnes credimus ad cerebrum terminari, quin ullam habeant efficaciam ad determinandam mentem, ut ideas in ſe producat; neceſſario admittamus oportet, vel harmoniam Leibnitii, vel Malebrankianam hypotheſim, vel aliud quodvis Syſtema in quo ad ſingulos organorum motus vel Deus ipſe animam movet, vel ipſa anima ad inſtar Automatis explicat ſemetipſam & actiones quaſdam neceſſarias producit. Sed Syſtemata haec omnia ſunt rejicienda ex iis quae dicemus inferius: actionem igitur quamdam corporis ſuper animam admittamus oportet. Fatemur quidem nos modum ignorare, quo corpus agere poſſit ſuper animam: ſed ex hoc male inferret quiſpiam nullam dari hujuſmodi actionem ad ſingulas objectorum impreſſiones, & organorum motus, quibus idea apprime reſpondens excitatur in anima. Effectus certus eſt: quid ſi modum, quo effectus iſte producitur non intelligimus? Num ceſſant effectus, quia cauſas neſcimus?

Tour-

Tourneminius, qui in ſuo Syſtemate actionem animae in Corpus ultro concedit immo propugnat, negat tamen iſtam quam modo ſtatuimus actionem corporis in animam. Ipſam vero non ideo ſe negare ait, quia non intelligit, ſed quia repugnantiam in ea invenire arbitratur. En argumentum ipſius praecipuum & ad quod caetera facile reducuntur. Subſtantia materialis nequit agere in aliam ſubſtantiam niſi per motus communicationem: atqui ſubſtantia materialis nequit communicare motum ſubſtantiae ſpirituali, ergo neque agere poteſt in ſubſtantiam ſpiritualem: Ergo actio corporis in animam repugnat. Ex impenetrabilitate materiae atque inertia argumentum ſuum confirmare contendit Tourneminius; ut videre eſt in ejus Epiſtolis, & apud Metaphyſicos, qui illius amplexati ſunt hypotheſim. Verum concedimus ultro materiem communicare non poſſe ſpiritui motum illum, cujus ideam habemus, & quem concipimus per translationem ſubſtantiae ex una in aliam ſpatii partem: at non admittimus, materiam impotem eſſe omnino ad determinandas quomodocumque ſubſtantias ſpirituales ad agendum. Tourneminiani argumenti tota vis in idea communi motus verſatur: motus autem idea contra influxum importune adhibetur, quandoquidem actionem corporis in animam admittentes motum illum non intelligimus, qui fit per mutationem loci, ſed motum illum improprie dictum, per quem ſubſtantia quaedam ſuas exercet facultates. Quod ſi repugnantiam adhuc inveniat Tourneminius, repugnantiam ipſamque evidentiſſimam in eo invenimus, quod Deus (qui nihil fruſtra operatur) voluerit corpus nullimode agere ſuper animam, atque interea illud tanto opificio ordinaverit, ut ſuper ipſum objecta externa operarentur, & motus longe mirabiliſſimos excitarent, in quorum praeſentia ideae quoque reſpondentes exorirentur in mente; & praeter haec omnia ſtatuerit ut certis deficientibus motibus certae quoque in mente ideae nequaquam excitarentur. Structuram oculi partiumque ipſius, tunicarum, ac fluidorum ordinem, craſſitiem, texturam, atque diſpoſitionem, numquam ſatis admirabuntur Phyſici, & refractionis leges religioſe a natura obſervatas, ut accurate tandem de-

pin-

pingantur in retina objectorum figurae, in quarum praeſentia ideae reſpondentes in anima exoriuntur. Guſtus organa, tactus, auditus, atque olfactus quanto artificio ſint efformata, quibuſque legibus ad impreſſiones datas moveantur, nemo non novit. Ad quid haec omnia inſtituuntur, ſi anima ab iis nullatenus affecta per ſe unice ac vi ſua producit ideas motibus illis omnino conformes? Quid autem in cauſa eſt cur ſenſus alicujus organo impedito, datis quibuſdam ideis caremus, ipſarum vero capaces efficimur ſtatim atque impedimentum ejuſdem auferatur? Quid nam in cauſa eſt cur lucis aut coloris aut magnitudinis corporae ideas amittimus prorſus ſeu diverſas acquirimus, ſi quando vel morbo aliquo vel vitiis impediatur refractio lucis in oculis aut aliter determinetur? Phaenomena haec omnia & alia hujus generis innumera nequaquam explicare licet niſi phyſicam actionem quamdam corporis ſuper animam ultro fateamur, vel niſi lubeat adfirmare Deum ſtatuiſſe motus legeſque conſtantiſſimas ac prorſus admirandas in organis corporeis, quin ulla intercedat relatio inter ipſos atque ideas tunc temporis in mente excitatas; ſtatuiſſe autem ut motibus ejuſmodi quacumque de cauſa ceſſantibus ſive immutatis, vel nullas acquireret ideas mens humana vel ſaltem diverſas: ſtatuiſſe nimirum haec omnia ſine ratione ſufficienti, ſine ulla neceſſitate, quandoquidem anima in ſe excitaret ideas independenter omnino a motibus illis, qui tanto ordine peraguntur in corpore. Quid autem abſurdius, quid ſapientia ac ſimplicitate Creatoris indignius, quam iſtiuſmodi oeconomiam opinari?

Ad actionem vero animae in corpus quod attinet: modus quo corporibus adhaerent ſpiritus, ajebat Auguſtinus, & animalia fiunt omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt. At quid interea? Num negare poterimus influxum animae in corpus, quem in nobis quotidie experimur; quantumvis obſcurum ſemper nobiſque imperviumı ſit, qua ratione animus ipſe in corpus influat, varioſque motus in illo producat? Certum eſt, omneſque illud experimur, corpus moveri prout anima, & quandocumque ipſa voluerit. Non autem ex eo quod non intelligimus modum hujus influxus, poterimus

illum

Digitized by Google

illum inficiari. Nullum namque argumentum Philoſopho viro indignius eſt, atque illud, quod ab ignorantia rerum repetatur. Infinita propemodum ſunt quae nos lateant quorumque ratio attendentibus minime pateat, ſed quae veriſſima interea ſint atque certiſſima. Quomodo in mente phantaſmata Archetypis ſimillima efformentur non eſt qui intelligat: ſed exiſtunt interea ſubſtantiae illae, phantaſmata illa repraeſentantur.

Quamquam & ſi modum & rationem hujuſmodi Influxus aperte, ac dilucide non intelligamus, impoſſibilem tamen illum non eſſe demonſtratur, ſicuti impoſſibilia ac repugnantia demonſtrabuntur Syſtemata omnia quaecumque excogitata fuerunt ab iis, qui phyſicum Influxum ſublatum omnino voluerunt. Ac re quidem vera non eſt qui inficietur Dei optimi maximi ſpiritualitatem immo qui illum ἀσῶματετατον non confiteatur, incorporeum nempe, atque excellentiſſimo modo incorporeum. Deus autem ipſe, communi omnium conſenſu, e nihilo eduxit materiam, atque illam vi ſuae efficaciſſimae voluntatis in ſubſtantias determinatas effinxit, motumque in eis produxit: Ergo Deus excellentiſſima ratione incorporeus agere potuit, atque operari in corpore nulla materiali impactione intercedente. Quid igitur obſtat quin immaterialis illa ſubſtantia quae in nobis eſt influat atque agat in corpus? Ens illud aeternum ac neceſſario incorporeum, quod in corpore agere potuit atque ipſum aeque ac animam creavit nonne animae communicare potuit hanc facultatem movendi ſcilicet atque influendi in corpora?

Conſtat igitur, nos quidem ignorare leges, & modum commercii: Ex hac tamen ignorantia nequaquam concluditur Phyſicam corporis animique mutuam actionem falſam eſſe atque impoſſibilem. Cum vero communis omnium hominum ſit perſuaſio, animam humanam imperium habere in corpus, in illud influere, motus illius producere, vi ſua ac voluntate actiones corporis moderari: quicumque ab ea volet ſententia deſciſcere, atque eam falſitatis arguere, dilucide oſtendat neceſſe eſt, illam falſam eſſe atque impoſſibilem; alioquin non ſanae mentis habebitur, qui a tam vivido atque perſpicuo diſſentiat conſcientiae teſtimonio. Non demon-

mon-

Digitized by Google

monſtrata vero ſententiae hujus falſitate, ſine ulla neceſſitate ad eas hypoteſes confugerunt Malebrankius, Leibnitius, & alii, quae nec facilius perſuadeant, nec ſine magno periculo poſſint propugnari.

COROLLARIUM I.

Fruſtra igitur Leibnitius ſuum elaboravit Syſtema, ſeu potius hypotheſim a Genlino Ethicae tractatu 1. Sect. 2. n. 7. jam excogitatam in medium produxit, ac publici juris fecit in diario ſapientum Pariſienſium anno 1695. & propugnavit deinde adverſus Baylii obiectiones anno 1698. &c.

Leibnitiana autem hypotheſis, quam Wolphius expoſuit atque illuſtravit, impugnarunt autem Pater Lamy, Newton, Clark, Tournemin, M. Lang, aliique quamplurimi; Leibnitiana inquam hypotheſis nullam prorſus admittit actionem animae in corpus, nullam prorſus corporis actionem ſuper animam. In hac hypotheſi anima vi ſua intrinſeca atque eſſentiali poteſt ſibi repraeſentare univerſum juxta poſitionem, ac ſitum corporis, cui conjungitur; corpus e contra vi ſua intrinſeca atque eſſentiali motus ejuſmodi in ſe producit, qui perfecte reſpondeant animae ideis. Utraque ideo ſubſtantia principium in ſe habet atque originem ſuarum mutationum: utraque ergo per ſe atque ex ſe agere dicenda eſt.

Hiſce poſitis Leibnitius cum agnoviſſet in Deo praenotionem & omniſcientiam omnium & ſingularum idearum, quas in ſe volet excitare datus aliquis ſpiritus, puta animus meus, ex inde concluſit, Deum efformaſſe corporale hoc automa, ſcilicet corpus meum ac tanto artificio tanta ſapientia efformaſſe, ut, in eo ſucceſſive exorirentur tales motus, taleſque mutationes determinatae, quae reſponderent omnino ſucceſſivis ideis ac volitionibus, quae ſucceſſive exorirentur in animo. Novit ex. gr. ab aeterno Deus mentem meam ſextodecimo aetatis meae anno, dato menſe, die, hora, ac momento habituram ejuſmodi ideas, quarum complexu Leibnitianam hypotheſim abſurdam agnoſcerem. Ea data praenotione corporeum automa hoc ita diſpoſuit ac praeparavit, ad

ad motiones ejus generis impulit, ut a primo exordii mei momento ad annum uſque datum atque momentum, tales ac tales ſibi ſuccederent motus ac mutationes in corpore, quae momento dato illum tandem producerent motum, qui unice & adamuſſim linguam ſucceſſive agitaret eo prorſus modo, qui maxime neceſſarius foret ad Syſtema illud oppugnandum, juxta ideas in mente conceptas.

Ingenioſa quidem hypotheſis, ſed iis obnoxia difficultatibus, quarum una tantummodo ipſam convellat radicitus. Quid namque illud eſt, quod ego ſtatuariae prorſus ignarus velim non raro ſeu tonantem Jovem, ſive Herculem pugnantem in ſaxo exculpere, vel in cera effingere; vivam alterutrius, atque perfectam in mente habeam depictam imaginem; fruſtra tamen circa ſaxum adlaborem, neque ſecus mihi accidat ac Figulo Horatii, cui ſi amphora coepit inſtitui, Urceus exit? Oh quantum ingenioſum, tam verum optandum Syſtema! Nihil namque eſſet quod conceptum ac volitum effici non poſſet ab homine.

Abſurdum praeterea eſt adfirmare, quod praenoſcens olim Deus me modo habiturum ideam voluptatis, vel doloris, adeo efformaſſe jam corpus meum, ut ſingulis ſibi in eo ſuccedentibus motibus, quot ſibi reapſe in eo hactenus ſucceſſerunt, illa nunc tandem ſuccedat motio, quae corpus ita afficiat: ut motio iſta in corpore reſpondeat ideae illi, quae nunc menti obverſatur. Et quidem anima mea eſt Ens ſimplex, & cui unitatem ſtricte ſumptam convenire certum eſt: ipſi quoque propria eſt ac naturalis potentia excitandi in ſe ideas: proprietatem hujuſmodi a Deo (juxta Leibnitium) ipſa recepit, & quoad poſſeſſionem & quoad exercitium: ſi igitur prima, quam in ſe excitat idea, eſt idea voluptatis, quanam de cauſa ſecundam in ſe excitare volet ideam doloris? Effectus tam diverſus haberi profecto non poteſt, niſi cauſa mutetur. Interea & primo, & ſecundo momento eadem gaudet animus intrinſeca cogitandi facultate: primo & ſecundo momento animus a cauſis quibuſcumque externis eſt omnino independens. Quid igitur in cauſa eſt, animam modo ad unam, modo ad aliam ſe ipſam determinare ideam non tantum diver-

ver-

Digitized by Google

verſam, ſed prorſus contrariam? quid igitur in cauſa, eſt, quod anima velit in ſe, nulla urgente cauſa, ideas doloris producere eo vel ipſo tempore, quo maxima perfruitur voluptate?

En Leibnitii celebratiſſimum olim Syſtema, quod vulgo = Harmonia praeſtabilita = appellatur ex eo, quod illa non temere, ac fortuito contingat, ſed quod a Deo definita jam, & invariabili ratione fuerit conſtituta. En Syſtema illud, quod vix in lucem editum multos, & Wolphium prae caeteris, nactum eſt patronos. Hoc autem cordatiores viri, celebrioreſque Philoſophi negligunt hodie, atque reſpuunt omnino. Quid de ſua hypotheſi ſenſerit ipſe Leibnitius, adnotabamus ſuperius.

COROLLARIUM II.

Leibnitiana propoſita hypotheſi afferendum eſt ac perpendendum Syſtema quod = Adſiſtentiae = ſive = Cauſarum occaſionalium = appellant. Acerrimus ejus propugnator eſt clariſſimus Malebrankius, qui cum corpus ſua ipſius natura otioſum penitus, atque iners intelligeret, animam vero inextenſam, ac prorſus immaterialem agnoſceret; ad explicandum animae ipſius cum corpore commercium, arbitratus eſt ſummum rerum opificem legem ejuſmodi praeſcripſiſſe, ut certis motibus corporis, certi ac determinati motus reſponderent in animo, ac viciſſim etiamſi nulla daretur realis actio animae in corpus, & hujus in animam. Ut autem ex duabus illis, atque inter ſe diverſiſſimis ſubſtantiis homo unus exurgeret, ac poſſet conflari, adſiſtentiam quamdam divinam realem & immediatam opinatus eſt neceſſariam, quae actu uniret duas illas ſubſtantias, certus motus excitaret in corpore, ideas menti repraeſentaret eo ſemper ordine ac lege ut motibus ideae in mente, ideis motus reſponderent in corpore.

Ideas vero in mente noſtra excitari per Deum ſic opinatur: = Anima, inquit Nicolaus Malebrankius, Anima Deo intime conjungitur, adeoque in ampliſſimo veluti ac perfe-

ctiſſi-

Digitized by Google

ctiſſimo ſpeculo, in Archetypa & exemplari idea videt, contemplatur, diſtinguit, atque ita omnes, omniumque generum acquirit ideas.

Verum quamnam ſupponit Malebrankius intimam connexionem inter animam hominis divinamque ſubſtantiam? Unitur utique Deo mens noſtra, ſed non alio prorſus modo, ac ſuae cauſae conjugitur effectus omnis; non autem uniuntur hae duae ſubſtantiae, neque Deus dici tuto poteſt locus proprius mentium, quemadmodum ſpatium dicitur locus proprius corporum. Si enim id cum Malebrankio adfirmamus, plures eaeque graviſſimae exoriuntur difficultates. Animae namque in hac hypoteſi ita unirentur Deo, ut eſſent vel partes Dei, vel Modificationes Divinae ſubſtantiae, vel Deus ipſe forent dicendae. Primum abſurdum eſt; in Deo enim nullae concipiuntur partes: ſecundum aſſerere non audemus, in Spinoziſmum nempe incideremus: tertium repugnare non eſt qui non videat.

Sed eſto animam videre in Deo, atque illi conjungi, quin ipſa dici debeat neque pars Dei neque illius modificatio. Si Deus igitur Ens eſt ſimpliciſſimum, ſimpliciſſima intelligentia; ſi anima humana videt, in Deo quaecumque videt, intueatur neceſſe eſt divinam intelligentiam, eamque omnem utpote ſimpliciſſimam: proindeque mens noſtra acquiret rerum ideas perfectiſſimas univerſales, nihil prorſus poterit ignorare. Quid igitur in cauſa eſt, quod imperfectas ut plurimum habemus ideas rerum, & Dei ipſius praecipue? Quid eſt, quod non eadem, non eodem gradu intelligunt pueri, juvenes, ſenes? Quid tamdiu quidam laborant in connexione idearum percipienda, quam nullo alii negotio intelligant? Quid ſtudiis vacamus? Cur morbo oppreſſi, vel aliis quibuſcumque cauſis turbati, rerum notionem vel partim vel univerſim amittimus? Quid Divinarum Legum, & quas in Deo veluti ſculptas intelligimus, quid eſt, quod illarum plerumque ignari homines ſunt? Non ſatis apte reponit Malebrankius, quod ſcilicet Deus utpote liberrimus non omnia nobis aperiat, pluresque ideas nobis occultet: idem namque eſt ac ſi adfirmet animas humanas in

Deo

Digitized by Google

Deo ſimpliciſſimo eſſe quidem, ſed ipſas interea Ens hoc ſimpliciſſimum non tamen integrum intueri.

COROLLARIUM III.

Conſtat igitur Phyſici influxus Syſtema aptum eſſe prae caeteris ad explicandum commercium inter corpus & animam, quam incorpoream omnino, atque immortalem demonſtrabamus.

Digitized by Google

Digitized by Google